



# Disputatio juridica inauguralis de poenis

<https://hdl.handle.net/1874/343785>

//.

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**P O E N I S,**

*Q U A M*  
FAVENTE DÉO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**M. GERARDI de VRIES,**

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

**PRO GRADU LICENCIATUS**

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

**ADRIAEN van BREDEHOFF , WESTFRSIUS.**

*Ad diem Junii horā locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ  
Typographi, clc loc xcii.

#### GOALS AND DILEMMAS

**P A R E N T I  
INDULGENTISSIMO  
D. D. FRANCISCO  
V A N  
BREDEHOFF,  
LIBERO TOPARCHÆ DE  
OOSTHUYSEN, ETERS-  
HEM, HOBREE, SCHAR-  
DAM, QUADYCK, &c. &c.  
DOMINO DE PYLS-  
WAERT.  
HORNANÆ URBIS EJUS-  
QUE TERRITORII SUM-  
MO PRÆTORI, CON-  
SULI AC SENATORI.  
INDICÆ ORIENTALIS  
SOCIETATIS MODERA-  
TORI.**

**AB**

AB ILLUSTRIBUS ET  
PRÆPOTENTIBUS  
HOLLANDIÆ ET  
WESTFRISIÆ ORDINI-  
BUS NUPER AD ILLO-  
RUM DEPUTATOS OR-  
DINES.

CONSESSUM BELGII  
FOEDERATI ORDI-  
NUM GENERALIUM.

HORUM RATIONUM  
CAMERAM DELE-  
GATO.

CUM MAXIME FOEDE-  
RATARUM PROVIN-  
CIARUM CONSILIO  
ADSCRIPTO.

*Hanc juridicam inauguraicem dissertationem*

Offert filius obedientissimus  
ADRIAEN van BREDEHOFF.

*Auctor.*

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
P O E N I S.

C A P U T I.



Uemadmodum nulla Resp. sine legibus stabilita esse potest, sic nullæ leges sine sanctione, qua poena in delinquentes statuitur, consistere possunt: quamobrem optimus legislator Lycurgus dicere solitus erat: *duobus potissimum contineri Remp. præmio scilicet & poena: quo dicto eam demum Remp. salvam esse putavit, in qua boni præmiis invitantur, flagitosi vero pœnis afficiuntur.* Cicero in epist. ad Brut. Idque Romanos legislatores sumnopere observasse vel ex toto Juris nostri oceano patet. Ego quidem ut mori recepto satisfacerem, selegi mihi frequentissimam de pœnis materiam; quam ut ordine pertractem, ab ipsa voce initium facio.

§. I. Vox pœnæ derivatur à Græco ποινὴ, eaque J.Cti vel strictius vel latius utuntur.

Latioris significationis exempla extant in §. fin. J. de V.O., §. 18. J. de inut. sfp. ubi poena contractui additur, ut certiorem firmoremque redderet conventionis eventum: sic etiam quod extra rei persecutionem est, ut in l. II. §. 2. ff. ad L. A. quil., cumque testator legatarium obstringit, ut promptius voluntatem suam exequatur pœna dicitur §. fin. J. de Legat.

## 6 A DISSERTATIO JURIDICA I

§. II. Strictius sumitur, cum mulcta etiam poena vocatur, licet inter poenam & mulctam insignes sint differentiae, quae ab Ulpiano notantur in l. 131. §. I. de V. S.

§. III. Strictissima JCtorum poenae interpretatio est cum supplicium dicitur: quo sensu commode definiri potest delicti eique adæquata coercitio ad publicam tranquillitatem, & nocentium terrorem præcipue constituta, l. 131. §. I. de V. S. l. 20. ff. h. t. l. 17. C. de accus. & inscrip.

Hinc Philosophorum princeps Seneca lib. 1. c. 21. de clem. poenarum finem respiciens, inquit, in vindicandis injuriis hæc tria lex secuta est, quæ Princeps quoque sequi debet: ut aut eum, quem punit, emendet, aut ut poena ejus cæteros reddat meliores, aut ut sublatis malis securiores cæteri vivant.

§. IV. Cæterum ut justa & æqua infligatur poena, debet quantum potest adæquata esse delicto, debet quis taliter pati ut fecit, ait Isidorus lib. 5. c. 27.

— — — adsit

Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas:  
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Horat. lib. 1. sat. 3.

Quippe illa est justissima & æquissima poena quæ delicto est convenientissima, quamobrem Lex. 12. Tabul. dicit, si MEMBRUM RUPSI NI CUM EO PAICIT TALIO ESTO.

§. V. Hunc puniendi modum maxime laudabant Pythagorei, qui oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede deberi dicebant. Per totam quoque Jurisprudentiam diffusa est hæc lex talionis, omniumque fere gentium moribus comprobata. Operæ pretium est Diodori elegantissime de moribus Ægyptiorum differentis verba audire.

Qui hostibus, inquit, secreta enunciarent, his linguam exsecari lex mandabat: illis, qui monetam adulterassent, aut nova substituerent pondera, aut sigilla transculperent, scribis etiam qui falsas concinnarent, vel de relatis in tabulas publicas quicquam demerent, aut syngraphas ementitas obtruderent,

derent, lex utramque manum præcidi jussit: ut qua quis corporis parte in legem pœnae esset, hac ad finem usque irreparabili cum damno & ipse culpam lueret, & alios hac sua pœna commonefactos ab eo genere facinoris deterreret. De sexu muliebri acerbas habebant leges, nam qui vim ingenuæ attulisset, huic genitalia præcidi jubebant, unius enim facinoris enormitate tria maxima flagitia, injuriam, corruptelam, & liberorum confusionem perpetrari judicabant. Si persuasus adulterium esset commissum viro mille plagæ fustium, mulieri narium detruncatio irrogabatur: nam mulier ad vetitas libidines sese exornanti præcipua venustatis leucocinia adimenda censebant.

Naturali æquitati quam maxime congruens est talionis poena; hinc Cicero ait de l. 3. noxiæ pœna par esto, ut quisque suo plectatur vitio. Quare rectissime à juris naturalis scriptoribus dividitur poena in reparatoriam & emendatoriam.

## CAPUT II.

§. I. Reparatoria poena est, qua tantum reparatur injurya, cuius exemplum est in homicidio, quod nullo alio modo puniri potest quam morte homicidæ, quamobrem Naso merito cecinit lib. 1. de art. amand.

*Nec lex est justior ulla,  
Quam necis artifices arte perire sua.*

Certissima est juris naturalis regula, ubi æstimatio delicti potest esse certa, ibi poena debet esse certa. Hinc clarissime patet homicidium propter certam æstimationem non nisi ultimo supplicio posse plecti: vita & anima hominis omnium pretiosissima est in orbe terrarum, omnium etiam sanctissima & Deo carissima, hinc nihil est quod possit cum ea comparari, quam hominis vita, nulla igitur hic alia talio esse potest, quam ut is, qui alterum occidit, etiam vitam perdat.

§. II. Cum

## 8 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

§. II. Cum itaque reparatoria poena Juris naturalis sit, ac Princeps legibus naturalibus minime solutus sit, recte concludimus à nullo terrarum domino posse ignosci.

§. III. Emendaria est, qua præter injuriæ reparationem major & gravior statuitur poena, ut homines magis deterreantur. Exemplum est in parricidis, quippe præter poenam reparatoriam, quæ hic etiam mors esse debet, crudelior & immanior poena iis irrogabatur, nam insuti culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia in mare vel vicinum profluentem projiciebantur §. 5. *J. de pub. jud. l. 9. ff. ad leg. Pomp. de parr.* lex enim qui eum necasset unde ipse natus erat, vivo lucem, fluctuantem mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto sepulcrum negabat.

*Di te summoveant, ô nostri infamia seculi,  
Orbe suo, tellusque tibi pontusque negetur.*

*Ovid. lib. 8. Metam.*

§. IV. De emendaria poena utpote legibus civilibus introducta, quibus Princeps nequaquam est obligatus, certissime valet dispensatio.

## C A P U T III.

§. I. Poena, quam libuit dicere emendariam, vel capitalis est vel non capitalis.

Capitalis est quæ vitam naturalem vel civilem adimit.

Vita naturalis eripitur per culeum, ignem, bestias, furcam, gladium.

Cullei poenam, cuius acerbitate vivus omnibus elementis destituitur, statim exposuimus.

§. II. Igne præcipue consumebantur servi, qui dominorum vitæ infidias struxerant, aruspices ad alienam domum accedentes, incendiarii *l. 28. §. 11. b. t. l. 3. C. de mal. & mat. l. 28. §. 12. b. t. l. 8. §. 2. b. t.* transfugæ & servi qui cum domina sua adulterium commiserant *l. un. C. de mul. quæ se prop. serv.*

§. III. Ter-

## INAUGURALIS. 9

§. III. Tertia capitalis supplicii species fuit bestiis objectio, cum rei inermes vel etiam alligati stipiti belluis devorandi traderentur: qua crudelissima poena secundum Divi Hadriani constitutionem afficiebantur parricidæ, quibus ob nimiam maris vel fluminis distantiam cullei poena infligi non poterat. *I. 9. ff. ad I. Pomp. de parr.*

Probe autem distinguendum est inter objectionem & damnationem ad bestias, qua aliquando sacrilegi puniebantur *I. 6. ad I. Jul. pec.*; hi enim inermes stipiti alligati bestiis deglutiendi objiciebantur, illis armatis cum bestiis ad mortem dimicandum erat, & si vel ejus artificii vel roboris essent, ut populo digne possint exhiberi, non quidem populi favore dimittabantur, sed Princeps à Præside consulendus erat *I. 3. ff. b. t.*

§. IV. Quarto furcam posuimus, cuius tria genera fuere. Primum est quod Isidorus patibulum vocat, quando laqueo rei gula frangitur, quo potissimum plectebantur actores tumultus vel seditionis, & latrones *I. 38. §. 2. & 28. §. 5. ff. b. t.*

Alterum fuit duplex lignum, cuius medio rei collum infrebat ac laqueo vinciebatur, ut vel expeditius ad supplicium traheretur, vel commodius virgis cædi posset. *Math. de crim.*

Tertium furcæ genus erat plaustrum jugum, quod servis peccatum suum prædicantibus ad id subligatis manibus ignominiae causa ferendum imponebatur, unde furciferi dicti fuere.

§. V. Gladio plerumque animadvertebatur in adulteros: adulterium enim omnium injuriarum complexum esse veteres arbitrabantur, hinc nulla alia quam mortis poena afficiendos esse nuptiarum sacrilegos censebant. *§. 4. J. de publ. jud. I. 30. § 1. C. ad I. Jul. de adult.*

Quod ad mores, circa enumerata poenarum genera, patibulum & gladium agnoscunt. In Germania tamen qui magicam artem exercere dicuntur stipiti alligati vivi cremantur, *Carpzov. q. 128. n. 53.*

§. VI. Poenæ capitales, quibus civilis vita tantum auferuntur, sunt damnatio in metallum, damnatio in opus metalli-

10 DISSERTATIO JURIDICA

cum , aquæ & ignis interdictio , in cuius locum postea successit deportatio , damnatio in opus publicum.

In metallum plerumque dabantur humiliores , qui virgines nondum viripotentes corruperant , & qui mulieri amatorium vel abortionis poculum præbuerant l. 38. §. 3. & 5. ff. b. t. , horum officium erat metallicas venas inquirere & eruere.

Mitior erat damnatio in metalli opus , nam & vinculis levioribus premebantur & refugæ ex opere ad Metallum demum damnabantur l. 8. §. 6. ff. b. t.

§. VII. Capitalis quoque pœnæ speciem , qua civilis vita aufertur , è numeravimus aquæ & ignis interdictionem : tanta enim Republicæ temporibus civis Romani fuit auctoritas , ut invitus civitate pelli non posset. Hinc eloquentiae pater inquit , *hoc juris à majoribus proditum est , ut nemo civis Romanus aut libertatem aut civitatem possit amittere , nisi auctor factus sit , ne tamen ullum peccatum sit impunitum aqua & ignis noxiis interdicebatur , atque ita omnibus orbati elementis sponte solum vertere cogebantur*. Imperatoribus tanta non fuit civis Romani sanctitas , quippe ab iis inviti deportabantur l. 2. §. 1. ff. b. t.

Hac deportationis pœna afficiebantur honestiores , qui vivi testamentum aperuerant , resignaverant , vel recitaverant l. 38. §. 7. ff. b. t.

§. VIII. Publico operi aliquando dabantur rei , verum hanc pœnam non sustinebant servi , Decuriones , veterani & liberi eorum l. 34. ff. b. t. l. 3. C. b. t. l. 5. C. b. t.

Plerarumque gentium moribus comprobatae sunt similia pœnarum species ut ergastula , ad triremes damnatio , exilium , &c.

C A P U T IV.

§. I. Pœnæ non capitales sunt quæ corpus vel existimationem laddunt.

Pœnæ

Pœnæ, quibus corpus coércebatur, erant fustium admonitio-  
flagellorum castigatio, vinculum verberatio, inustio stig,  
matis, membra amputatio, relegatio, damnatio in tempo-  
rarium opus.

Fustibus admonebantur tantum liberi, sed tenuioris fortunæ  
homines *I. 28. §. 2. ff. b. t.* quemadmodum liberti patronis con-  
tumeliosi, vel etiam cum convitia vel ipsi vel eorum uxores aut  
liberi ab illis erant passi *I. 1. §. 10. ff. de off. Præf. urb.* Vestiti  
fustibus subjiciebantur *Goth. ad. I. 7. ff. b. t.*

**§. II.** Acerbior atque ignominiosior erat flagellorum pœ-  
na, quippe quo casu libertus fustibus cædebat, servus nu-  
dus flagellabatur *I. 10. ff. b. t.* si servus enim atrocem dederat  
injuriam, ejus tergum à Præside flagris rumpebatur *I. 9. §. 3. ff.*  
*de injur. hinc Juvenalis lib. 6. inquit,*

— — — — *Rubet ille flagellis.*

Aliquando vinculis etiam verberabantur ejusdem farinæ ho-  
mines *I. 7. ff. b. t.*

Callistratum hic per vincula habenas seu lora intellexisse  
putat *Goth. in not. ad hanc I.*

Quamvis Imperator Constantinus, ut forte quid pium con-  
stituisse videretur, faciem ad pulchritudinis cœlestis simili-  
tudinem, figuratam, maculari prohibuerit *I. 17. C. b. t.* tamen  
calumniatorum vel fugitivorum, vel etiam in metallum dam-  
natorum, dorso, manibus vel suris signum imprimi posse mi-  
nime vetuit in eadem *I. 17.*

**§. III.** Licet maximum inter D. D. sit dubium utrum ca-  
pitalibus an non capitalibus pœnis membra abscissio anume-  
randa sit, eam tamen cum *Mathæo in tract. de crim. ad h. t.*  
inter non capitales referendam esse censui.

Hic vero notandum reos plerumque ea corporis parte pu-  
nitos qua peccaverant. Unde scite Martial.

*Quis tibi persuasit nares abscindere Mæcho?*

*Non hac peccatum est parte marite tibi.*

Qui manu deliquerat, manu plebebatur, qui enim hæreticos li-

12. DISSERTATIO JURIDICA

bros conscripserant, his manus amputabatur *Nov. 42. c. 1. §. 2.* utramque tamen manum præcidi vetuit Constantinus in *auth. ut nulli Jud. C. de serv. fug.* quamquam hoc antea Caligulae crudelitati placuisse patet, cum servum ob detraetam lectis argenteam laminam carnifici tradidit, ut manibus abscissis, atque ante pectus è collo pendentibus per coetus epulantium circumduceretur, uti Suet. in ejus vita refert *c. 32.*

Sic quoque fugitivi servi ad barbaros transiunt, quoniam pedibus peccatum erat commissum, ex constitutione Imperatoris Constantini, quæ est in *l. 3. C. de serv. fug.* pede amputato debilitabantur.

§. IV. Relegatio à deportatione distincta est. Quid sit relegatio explicat Ulpianus in *l. 14. ff. de interd. & releg. Relegatus*, inquit, *dicitur is, cui provincia vel Roma vel continentibus ejus perpetuo vel ad tempus interdicitur.*

Deportatio civitatem & bona adimit, relegatio neutrum tollit, nisi specialiter bona publicentur *d. l. 14.*

Altera differentia inter deportatos & relegatos patet ex definitione, nimirum quod in insulam vel ad tempus, vel in perpetuum relegari quis possit *l. 7. §. 2. ff. eod.*

§. V. Notandum vero est, quod certus dies hac fere concepta formula relegandis præscribebatur. *Illum provincia illa insulisque eis relogo, excedereque debebit intra illum diem l. 7. §. 17. ff. de interd. & releg.*

Cum autem, uti diximus, bona sua relegatus retineat, & non tantum ea, quæ juris gentium, sed quæ juris civilis sunt, orta est inter D. D. controversia, utrum servus, cui nulla juris civilis est communio, relegari possit: quod nos affirmandum contendimus propter *l. 2. ff. qui & à quib. man. & l. 2. C. de sepul. viol.*

§. VI. Ob leve quoddam delictum ad tempus publico operi adscribantur etiam mulieres, veluti ad salinas, expleto autem tempore perpetua infamiae nota illis adhærebat *l. 8. §. 8. ff. h. t. l. 6. C. ex quib. caus. infam. irrog.*

§. VII. Pœ-

§. VII. Poenæ non capitales, quæ ad existimationis periculum pertinent, sunt pecuniarium damnum cum infamia, dignitatis depositio, actus alicujus prohibitio.

Sic stupratoribus, si modo honestioribus, lex dimidiam bonorum partem adimebat §. 4. *J. de publ. jud.*, item ex lege Julia, qui vim sine armis commiserant in tertiam bonorum suorum partem publicatio imponebatur §. 8. *J. eod.* Illos igitur, qui ex publicis judiciis erant damnati sive capitalibus sive non capitalibus semper sequebatur infamia *Vinn. ad §. 2. Inst. de publ. jud.* atque pecuniarium damnum hisce casibus cum infamia irrogabatur.

§. VIII. Ob delictum etiam dignitas auferebatur, veluti militibus, cum ignominiose à militia ob militare crimen mittabantur *I. 3. I. de re mil.*, etiam annonæ erogatores ob non secundum justitiam peractum officium cingulum militæ amitterebant *I. 16. §. 6. C. de erog. milit. ann.*

§. IX. Poenæ nomine quidam actus poterant prohiberi ob leve quoddam vitium, quemadmodum causarum patronis fero & advocationibus vel ad tempus vel in perpetuum interdicebatur *I. 9. ff. b. t. I. 1. §. 13. ff. de off. Præf. urb.* Sic etiam à certis quibusdam locis arcebantur, veluti ad Præsidis tribunal postulare *I. 9. §. 3 ff. b. t.* Publica vectigalia quoque quidam negotiari & conducere vetabantur *I. 9. §. 9. ff. b. t. I. 1. §. 13. ff. de off. Præf. urb.*

§. X. Poenæ non capitales fere moribus quadrant, quippe virgas etiam hodie patiuntur rei, candardi ferro cuiusque civitatis insignia noxiorum plerumque dorso, aliisque etiam corporis partibus imprimuntur, membrum, quo crimen patratum est aliquando absinditur, provincia vel urbe quadam interdum illis interdictris, vel certus locus iis adsignatur, plerumque pecuniarium damnum cum, & sine infamia patiuntur, dignitates deponere coguntur, & à certis quibusdam actibus summoventur.

14 DISSERTATIO JURIDICA

C A P U T V.

§. I. Præterea dividitur poena in legalem, seu ordinariam,  
& extraordinariam seu arbitriam.

Legalis seu ordinaria est, quam lex aut Princeps præscripsit  
vel consuetudo introduxit.

Quæri hic posset an judex poenam legalem possit diminuere  
vel remittere? quod sane judicem facere posse non credimus,  
nisi hoc manifestissimæ circumstantiæ postulent *ex l. i.  
§. 4. ad Sctum Turp.* Idque ex eo evidentissime patet, quod  
judex, qui probati criminis molliverat poenam, notabatur in-  
famia *l. 8. C. ad l. Jul. de vi.* at si pecuniaria esset à provin-  
ciarum Præsidibus poterat remitti *l. 6. §. 9. ff. de Præf. off.*

§. II. Arbitria seu extraordinaria est, quæ à nulla lege de-  
finita extraordinem judicis arbitrio imponitur.

Hic solet quæri, an judicis arbitrio poena capitalis possit  
imponi? quod affirmandum censeo, poena enim delicto com-  
mensurata inferenda est, quod tantum potest esse, ut & ca-  
pitale supplicium mereatur ut. in *l. i. C. de his qui latron. Ju-*  
*dicanti,* inquit, *Marcianus in l. ii. ff. b. t. perspiciendum*  
*ne quid durius neque remissius constituatur, quam causa*  
*deposita, nec enim aut severitatis aut clementiae gloria af-*  
*fectanda est.*

§. III. Insuper poenæ distribuuntur in licitas & illicitas.

Huc usque licitas recensuimus. Prohibitorum suppliciorum  
genera erant, Crux, quem puniendi modum Constantinus  
hujus salutis nostræ signi reverentia sustulit. Telo vel securi  
perimi nemo potest *l. 8. §. 1. ff. b. t.* Hinc Caracalla audito Pa-  
pinianum securi esse peremptum, hoc modo percussorem re-  
prehendit: GLADIO TE EXQUI OPORTUIT JUSSUM  
MEUM.

Valeria lex vetuit Romanum civem verberibus vel virgis  
vel tormentis enecari *l. 8. §. 3. ff. b. t.* vide *Gothofr. ad hunc §.*  
*Ter-*

# INAUGURALIS. 15

*Tertull. in Apol.* inquit, *civilis, non tyrannica dominatio vestra est: apud tyrannos tormenta etiam pro pœna adhibentur, apud vos soli quæstiōni temperantur.* Veneno aliquem necare nefas est *l. 8. §. 1. ff. b. t.* Nemo etiam inedia est perimendus *l. 20. ff. de interd.* quamvis sæpius contra has leges peccatum fuisse legimus. Inter cæteros hæc minime observasse Neronem testatur Suet. in ejus vita *c. 36.* Saxo quis præcipitari non debet *l. 25. §. 1. ff. b. t.* quamvis hanc pœnam plurimi sint perpetui, vide Gothofr. ad d. *l.* Accuratissimus Romanæ historiæ scriptor *Livius lib. 1.* improbat quoque corpus humanum equis vel quadrigis discerpi, *primum ait, Ultimumque illud supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit, in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas.* de quo suppicio sic *Virgilius l. 8. Ænead.* cecinit,

*Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ  
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)  
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus  
Per sylvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.*

Calumniatorum frontem maculari non posse supra attigimus ex *l. 17. C. b. t.* Nemo quoque perpetua vincula pati potest *l. 35. ff. b. t.* *Carcer enim, inquit Ulpianus, ad continendos non ad puniendos homines haberi debet.* *l. 8. §. 9. ff. b. t.* Servitutem quoque pœnæ, quæ priscis temporibus in usu erat, benignior Justinianus sustulit *N. 22. c. 8.*

## CAPUT VI.

§. I. **L**Ex judici seu Magistratui, cui merum imperium concessum, justas fontium pœnas prescribit. Quinam Magistratus Jure Romano hanc jurisdictionem habuerint, labens prætero. Transeo itaque ad ipsius judicis officium.  
Mag-

## 16 DISSERTATIO JURIDICA

Magistratum diximus poenam lege definitam executioni mandare , quem in ordinaria inferenda à legis auctoritate & severitate recedere non oportere supra docuimus. Circa arbitrariam attendat , ut in leviori causa ad lenitatem sit pronior , in graviori poena severitatem legis cum aliquo temperamento benignitatis subsequatur. l. 11. ff. b. t.

Lex enim aliquando certam poenam potest præfigere , quæ tamen per circumstantias arbitraria fieri solet , nam circumstantiae poenam vel acerbiorem vel leniorem reddere possunt , quamobrem judici maxime consideranda veniunt , causa , persona , locus , tempus , qualitas , quantitas & eventus l. 16. §. 1. ff. b. t.

§. II. Causa atque origo delicti inspicienda est , alii enim proposito , alii metu , alii casu delinquunt l. 11. §. 2. ff. b. t. Cujus crimen consulto atque proposito patratum est , hujus poena minime mitiganda videtur : hinc latrones nunquam extra ordinem sunt puniendi , contra vero illorum , qui impetu quodam in legem peccarunt , poena moderanda est: quod & Ciceronis confirmatur testimonio : *leviora ait , sunt ea quæ repentina aliquo motu accident , quam ea , quæ meditata & præparata inferuntur.* lib. 2. de off. Quam ob rem ultimum supplicium marito remittitur , qui justo dolore atque impetu irritatus conjugem in adulterio deprehensam occidit l. 3. §. 3. ad SCrum Silan. l. 38. §. 8 ff. ad l. Jul de adult. Sic etiam lenius plectendum esse arbitror , qui compotatorum instantia plus justo ventrem vino replevit l. 6. §. 7. ff. de remilit. Imo plene à poena absolvendus iste , qui casu delictum commisit , ut qui in venando telum in feram mittendo hominem interfecit l. 11. §. 2 ff. b. t. casus enim talis culpa vacuus fato non noxæ imputatur l. 1. l. 5. C. ad l. Corn. de Sic.

§. III. Quod ad personam attinet , vel ratio habetur illius qui fecit , vel illius , qui passus est l. 16. §. 3. ff. b. t. nam ex iisdem facinoribus aliter peuniuntur liberi , quam servi (hi enim corporis cruciatu tantum poenas æstiment , illi vero dolore animi

animi poenarum modum considerant, quare difficilis servi quam liberi emendantur, ideoque severius debet esse servorum supplicium,) aliter qui quid in dominum parentemve est ausus, quam qui in extraneum, vel in magistrum vel in privatum *ibid.* Aliter quoque famosos, aliter integræ famæ homines punire *majores nostri*, inquit *Callistratus* in *l. 28. §. 16. ff. b. t.* quod & supra in poenis exponendis passim docuimus. Porro persona considerari potest ratione dignitatis, sexus vel ætatis.

§. III. Ob dignitatem Decuriones, eorumque parentes & liberi in metallum vel metalli opus non damnantur, nec furcæ subjiciuntur, vel vivi exuruntur *l. 9. §. 11. & 12. ff. b. t.* capite enim hos puniri vetuit Divus Hadrianus *l. 15. ff. b. t.* sed propter crimina capitalia potius relegandos vel in insulam deportandos esse traditur in *l. 6. ff. de interd. & releg.* nisi parentem interfecissent *l. 15. ff. b. t.* Dignitatis quoque ratio habetur in militibus, quippe veteranis eorumque liberis idem honor habetur ac Decurionibus *l. 3. ff. de veteran.* cæteri milites nec torquentur, nec in metallum, vel metalli opus dantur, neque ad bestias vel in furcam damnantur *l. 3. §. 1. & 10. ff. de re milit.* sed militum poenæ ait *JCtus* in dicto §. 1. potius erunt *castigatio, mulcta pecuniaria, munerum, indictio, militiae mutatio, gradus dejectio, ignominiosa missio*, nisi ad hostes confugerint §. 10. dictæ *l. 10. de militibus*.

§. IV. Ob sexum mitius foeminæ quam mares habentur *l. 6. ff. ad l. Jul. pecul. l. 38. § 7. ad l. Jul. de adult.* cum enim tanta harum imbecillitatis ratio habeatur *l. 5. §. 3. ff. ad l. Jul. majest.* tanta ob hanc causam illarum per Jurisprudentiam dispersa atque diffusa sint privilegia, æquissimum judico etiam in ferendis poenis infirmitatis suæ privilegio gaudere.

§. V. Quod ad ætatem, impubes puniri non solet, quia caret affectu, si vero proximus pubertati existat & doli sit capax, plectendus erit *l. 1. §. 6. ff. ne vis fiat ei l. 23. ff. de furt.*

18 DISSERTATIO JURIDICA

Cum vero unius longior, alterius brevior sit pueritia, certum tempus hic definiri non potest, at hoc potius prudentissimi iudicis arbitrio relinquendum.

Quemadmodum impuberes, sic etiam furiosi & mente capti affectu carent atque animo destituti sunt, hinc illorum delicta quoque impunita manent *l. 5. §. 2 ff. ad l. Aquil. l. 60. ff. de rei vind.* namque hos fati sui infelicitas excusat *l. 12. ff. ad l. Corn. de sic.* horumque delicta casui potius erunt adscribenda *l. ult. ff. de administr. tut.* cum nec injuriam facere possint *l. 3. §. 1. ff. de injur.*

§. VI. Delictum quoque gravius reddere locus, sic atrocior erit injuria si in theatro, vel in foro vel in Praetoris conspectu facta sit *§. 9. ff. de injur.* si in æde sacra, quam in domo privata, quamobrem sacrilegium capite, furtum minori supplicio vindicatur *l. 16. §. 4. ff. b. t.* Severius quoque animadvertisit in illos, qui ob loci opportunitatem delictum commiserunt *l. 16. §. 9. ff. b. t.* Sic etiam moribus maiores poenæ à domestico fure, quam ab extraneo sumuntur.

§. VII. Tempus crimen aliquando aggravare potest, fur enim nocturnus à diurno distinguendus est *l. 16. §. 5. ff. b. t.* nam nocturnum furtum diurno gravius est, quare lex duodecim tabularum furem nocturnum, si modo id ipsum clamore testificetur, occidere permittet *l. 4. §. 1. ad l. Aquil.* Sic etiam emansor à fugitivo differebat *l. 16. §. 5. ff. b. t.* Tempus contra penam interdum sublevare potest, cum nempe diutina reorum custodia in poenæ partem cedit *l. 25. ff. b. t. l. 23. C. b. t.*

§. VIII. Qualitate delicta distinguuntur, cum factum vel atrocius vel levius est: sic furtæ manifestæ à nec manifestis discerni solent, rixæ à grassaturis, expilationes à furtis, perulantia à violentia *l. 16. §. 6. ff. b. t.*

§. IX. Quantitas etiam maleficium vel gravius vel levius facit, nam qui unum suæ surripuit, ut fur, qui gregem, ut abi-

abigeus coércebitur *l. 16. §. 7. ff. h. t.*

X. Acrius quoque sunt puniendi , qui in propositi temeritate perseverarunt , quiue aliquoties deprehensi clementius tractati fuerunt *l. 28. §. 3. ff. b. t. l. 8. C. ad leg. Jul. de vi.* nam hi insanabiles sunt , de quibus hæc Platonis sunt verba *l. 12. de leg. qui insanabilem morte afficiunt , apud omnes laude digni judices , judicunque principes non injuria sèpius dici posse videntur.* Hinc Seneca lib. 1. de ira , inquit , tollantur è cætu mortalium , facturi pejora , quæ continentur.

§. XI. Eventus denique judici erit spectandus : licet enim aliquando voluntas executioni non possit mandari , attamen minime huic parcendum erit , quippe in maleficiis non exitus , sed voluntas spectatur *l. 14. ff. ad l. Corn. de sic.* quam ob rem lex non minus eum , qui occidendi hominis causa cum telo fuit , quam eum , qui occidit , punit *l. 16. §. 8. ff. h. t.* Ob eandem rationem capitali poena feriuntur ii , qui ausi fuerunt virgines sacratissimas matrimonii jungendi causa attentare *l. 5. C. de Episc. & Cler.* E contrario , quæ citra voluntatem ac animi destinationem committuntur , quæque tantum fortuiti causas sunt , voluntario luebantur exilio *l. 16. §. 8. ff. h. t.* Ob alias plurimas causas poenas mitigari debere quidam D. D. estimant , quas in suo tractatu de criminibus ad tit. 8. cap. 4. & 5. enumeravit vir eruditissimus Anthon. Math.

## C A P U T VII.

§. I. **N**Oxii atque facinorosi homines ob facta , ut furtæ cædesque , aut diæta , ut convitia & infidas advocationes , aut scripta , ut falsa & famosos libellos , aut confilia , ut conjurations & latronum conscientiam suppicio ac sorti subjiciuntur *l. 16. ff. h. t.* illi enim dum delinquunt sua se voluntate

tate poenæ obligasse videntur. Quo respexit Imp. Marcianus cum in hæc verba rescripsit in *L. ult. C. ad leg. Jul. majest.* ex quo sceleratissimum consilium quis cepit, exinde quodammodo sua mente punitus est. Vide quoque *L. 34. ff. de jur. fisc.*

Cum itaque obligatio ad poenam oriatur tantum ex merito delinquentis, patet poenas nec ad hæredes posse transire, nec cadavera, neque animalia bruta, quæ dolo & delinquendi affectu carent, punienda esse.

§. II. Quandoquidem ubi est noxia, ibi locum habeat poena, eaque præcipue ad emendationem sit introducta, procul à calunnia submoventur, propinqui, noti, & familiares, *suos enim teneant peccata auctores, nec alieni criminis successor constituatur L. 20. 26. ff. b. t. L. 22. C. b. t.*

Qua ratione optimo quoque jure cautum est mulierem gravidam non torqueri, nec ullo affici supplicio *L. 3. ff. b. t. L. 18. de stat. hem.* quippe partus Reipub. non poenæ nascitur, neque matris calamitas ei, qui in utero est, potest nocere, quamquam hoc à quibusdam Imperatoribus sèpius neglectum legitimus, quod & Dion de Claudio testatur *lib. 57.*

§. III. A noxiорum cadaveribus regulariter non est sumenda poena, nam hic omnis puniendi ratio fere cessat, quamvis hoc aliquando, sed in atrocioribus delictis contingat, attamen plerumque punitorum corpora non sepeliuntur *tot. tit. ff. de cad. pun.* Licet omnibus fere gentibus nefas fuerit visum illud domicilium, in quo rationalis anima habitavit, cœli & avium injuriis, canum aliorumque quadrupedum laniatu projici atque exponi: cum tamen facinoroso vita possit auferri, multo magis ipsi dignitas poterit adimi. Unde concludimus sine injuria noxiis sepulturam, in qua quam maxime hominis veneratio ac dignitas consistit, posse denegari, ut alii ab iisdem facinoribus conspectu deterreantur *L. 28. §. 15. ff. b. t.*

§. IV.

§. IV. Bestias puniendas esse negavimus *arg. l. 1. §. 3. ff. si quad. p. c. p. fec.* Non tamen nos fugit in veteri foedere bruta fuisse interempta *Levit. 20. 15. 17. Exod. 21. 28.* ad abolendam facti memoriam, non punita vero esse legimus, licet *Zoes. ad h. t.* tradat, multas gentes etiam non barbaras, non tantum bruta, sed & inanimata punienda credidisse, ut recordatione alieni periculi horror hominibus à similibus delictis injiceretur.

§. V. Noxios atque facinorosos puniri diximus. At sibi caveat judex ne absentem vel inauditum damnet, nam hoc æquitatis ratio non patitur.

*Qui statuit aliquid parte inaudita altera,  
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit, inquit  
apud Senec. Medea.*

*Sed nec ex suspicionibus aliquem condemnnet, satius enim est, impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare l. 1. ff. de req. vel abs. dam. l. 5. ff. h. t. sintque accusationis testimonia munita idoneis testibus, instructa aperi-  
tissimis documentis, expedita indiciis ad probationem indu-  
bitatis & luce clarioribus l. 25. C. de probat. quibus jam con-  
victos reos & crimen confessos velox poena subducat l. 5. C. de  
custod. reor.*

§. VI. Judex intra brevissimum, quantum fieri potest, tempus ferat sententiam: quæ hac fere formula pronunciabatur, *Videri eum crimen admisisse: videri fecisse;* nam verbum *videri* in ferenda sententia Romanis solenne fuisse ex *Briss.* lib. 5. de form. patet. Aliis tamen verbis & reum condemnari potuisse constat. Causa quoque condemnationis plerumque sententiæ inserebatur, ut videre est apud *Livium lib. 8. cap. 7.* *Quandoquidem tu T. Manli neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti, & quantum in te fuit,*

imp

C 3

dis-

## 22 DISSERTATIO JURIDICA

*disciplinam militarem, quia stetit ad hanc diem Romana res, solvisti, disciplinam militarem culpa tua prolapsum pœna restituas: i lictor deliga ad palum.* Eaque à judice pronunciata, à carnifice vel lictore executioni mandabatur.

§. VII. Cum vero pœnæ etiam finis sit ut alios perterre faciat, in via publica plerumque in reos animadvertebatur. Hinc *Quintilianus in declam. 274.* inquit quotiens noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ut plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint. Præterea interdiu, non noctu siebat, quare *Seneca lib. 3. de ira cap. 19.* in hæc verba erumpit. *Quid tam inauditum, quam nocturum supplicium? cum latrocinium tenebris abscondi soleat, animadversiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque sufficiunt:* *§ 4. contr. 25.* feriatur in foro, omnes videant.

Summa certe hoc nititur ratione, quoniam præcipuus pœnarum finis est emendatio *l. 20. ff. b. t.* & non tantum ipsius rei sed & aliorum nocentium, qui hujus exemplo a delictis deterrantur *l. 1. C. ad leg. Jul. repetund.* Atque ita vel publica tranquillitas comparatur, vel conservatur, ita securi ac tuti vivunt boni Reip. cives, hoc modo malorum, qui intestinam Reip moliuntur perniciem, libidines refrenantur.

## C A P U T VIII.

§. I. **C**ondemnati, qui jam pro meritis justas perpessi erant pœnas, absolvebantur *l. 7. ff. de jur. patron.* nam peccatum solvit poena: qui enim criminis tenetur obnoxius, poena eum à pristina obligatione liberat.

Et si aut vita, aut civitas adimebatur, aut servilis conditio irrogabatur, bona amittebant *l. 1. ff. de bon. dam.* licet nulla publicationis mentio facta foret: dimidia tamen pars liberis, si qui

qui essent, salva erat *I. 10. C. eod.* Sed hoc Imperator Justinianus in *N. 134. c. ult.* sustulit, ubi noluit damnatorum substantias secundum veteres leges fisco applicari, sed si quidem haberent descendentes vel ascendentes usque ad tertium gradum, eos habere. In majestatis tamen crimine condemnatis veteres leges servari jussit.

§. II. Gravissimum enim Romanis fuit habitum majestatis crimen seu perduellionis, quod non tantum ex *N. 134.* colligere licet, verum & ex eo, quod in hujus criminis reorum sacerdierint cadavera, cum regulariter damnati crimen morte extinguitur *I. 11. ff. ad l. Jul. maj. l. 3. C. si reus aut acc. mort l. 6. ff. de publ. jud.* quippe cum ad emendationem constituta sit poena, mortuo eo, in quem constituitur, desinere videtur. *I. 20. ff. b. t.*

§. III. Porro noxii poena 20 annorum spatio tollitur, quia eo tempore omnia fere crimina, nisi breviori tempore fuerint circumscripta, praescribuntur *I. 12. C. ad l. Corn. de fals. l. 1. §. 3. de jur. fisc. l. 1. §. 10. ff. ad SCt. Turp. l. 7. ff. ad l. Jul. pec.*

Ex singulari quoque Principis indulgentia aliquando reo subvenitur, & gratiae restitutionem consequitur, nullumque haec abolito requirit causam, Princeps enim ex potestatis suae plenitudine gratiam facere potest. *I. 1. ff. de const. Princ. l. pen. de calum. tot. tit. ff. & C. de sent. pass. & restit.*


§. IV. Non recte tamen omnia delicta Princeps remittit: quae enim crimina Deus seu jus naturae vindicari jubet, ea condonare nequit, quod & Carolum Quintum non latuisse patet: qui, cum senatui Mediolanensi concessit merum imperium sibi reservavit jus gratiae & ignoscendi, homicidio excepto, nullam aliam ob causam, quam quod de eo suprema majestas dispensare non posset.

*Ego vero, inquit Bodinus lib. 1. de Rep. 10. nec principibus ullis, nec mortalium cniquam veniam largiri licere statuo,*  
*si sce-*

24 DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

*si scelus divina lege capitale fuerit: ac siquidem judex infamiam contrahit capitalem, qui privatos legibus civilibus solvit, quis parricidam ac incestibus omnibus delibutum hominem legibus divinis jure solvi confidat. Quod si ne Principi quidem fas est, quod alterius vel minimum interfit, aut injuriam alteri illatam condonare; quoniam modo contumeliam Deo illatam, aut parricidium consilio perpetratum, quod lege divina capitale est, dissimulare poterit. Et paulo post, inde pestes, bella, sterilitates, clades Rerum pub. consequuntur.*

F I N I S.



C O-



## C O R O L L A R I A.

manuq; ei viciuadorg; l*l*icitib; ministrat. *M*andator vulneris tenetur de Cade.

*M*andator vulneris tenetur de Cade.

### I I I.

*D*onatio omnium bonorum licita est.

### I I I.

*D*onator rem donatam ob liberorum supervenientiam revocare nequit.

### I V.

*F*ilius fam. de plenis adventitiis testari non potest.

### D

*V. Qui*

V.

Qui credit in refectionem navis non habet tacitam hypothecam.

C O R O N A R I A

Merito rejicitur divisio probationis in plenam  
& semiplenam.

F I N I S.



Qui credidit in refectionem navis non habet tacitam hypothecam.

Nobili

D

A. Q.

*Nobili ac Generoso*

V I R O J U V E N I

# D. D. ADRIANO

V A N

## BREDEHOFF

*Cum in illustri Academia Ultrajectinā Amplissimo ICtorum ordini per summos in utroque jure honorum gradus inauguraretur.*



umpit claustra nefas, regnumque ex-  
tendit Erinnis,  
Et conjurat vocat ad certamina  
gentes,  
Arma micant; totis pandit nigra atria  
portis

Dux Erebi, & stygio famulas armata veneno  
Persephone furibunda ciet, pax optima rerum  
Exulat, & diri disrupto scedere Galli  
In furias Martemque ruunt, contraria Belgæ  
Arma movent, Batavumque exasperat ira Leonem.  
Omnia fortunet dexter Deus, omnia cœli

D 2

Hac

Hæc decreta puto, nondum nos deserit æther  
Astrorumque favor: bene diriget omnia clemens  
Æqua lance pater, bene nos obedimus Olympo.  
Fata viam invenient; non tristem Belgia vultum  
Obtexit lachrymans, animum nec mœsta relinquit.  
Plumbea paciferam non sternent pondera palmam  
Sed crescat secura sui, reverentia legum  
Nec pietas, nec cana fides, nullisque movetur  
Nec Themis inconcussa malis, viridante corona  
Stat virtus innixa Deo, perque æquora portum  
Cœli aperit Cynosura, bonus discrimina vincit  
Miles, & ad Sophiæ per mille pericula templum  
Tenditur ingenuis. Stant salva palatia Phœbi  
Sedibus in Batavis, ubi pace quietior artes  
Musæ alit ingenuas, magnisque exercet alumnos  
Præceptis Astræa bonis, virtute Lycaum  
Diva colit veteres urbs Antonina triumphos  
Jactat ubi, rapidis quo grandia mœnia Rhenus  
Lambit aquis, studiisque sacer locus atque Minervæ.  
Illic præstantes BREDEHOVI clara per artes  
Mens exulta viget, Themidi conjungere musas  
Cui placuit comites, cui nunc sua præmia Pallas

Doctri-

Doctrinæ promissa dabit, quæ musa relinquat  
Te tacitum? vestras fileant quæ carmina laudes?  
TEQUE ego, TE mea musa canet, mihi somnia quamvis  
Aonius mons docta neget, dulcemque recuset  
Calliopæa lyram; Pallas licet invida sacros  
Præcludat latices, ad carmina grandia Pallas  
Me tamen ipsa vocat, versisque inspirat amicos.  
Sed canimus veluti cantantes inter olores  
Anser gingrit iners strepitique offendit Alexin.  
TU post tot vigiles noctuque dieque labores  
Scandis victor ovans, summi fastigia juris  
Caesareasque aperis ichartas, legumque recessus,  
Terrigenis quæ jura doces, tu fontibus iras  
Promittis, diras formidat adultera poenas  
Hippia, & impuræ metuit turpissima lenæ  
Crimina Diplas anus, non patrem impune trucidat  
Oedipus, aut stygiis Medea venefica vittis  
Terribilem Plutona ciet, lex punit aduncas  
Jure manus, cupidosque domant ergastula Cacos  
Et Verri sua furta nocent. Ridete clientes!  
Militat in fonti Themis, oppressosque tuerit  
Mysta reos. Rigida vitium perstringitur ira.

D 3

Nunc

Nunc poscit Themis æqua moras, longoque labore  
Imponit miserata modum, dum tanta sciendi  
Te sitis indefessa rapit, pernoscere legum  
Jamque satis docuit tua Te solertia sensus.  
Astrææ nunc templa patent, ut nobile germen  
Spes patriæ, celebris præclaraque gloria stirpis  
Ingredivatur ovans, sacras nunc accipe lauros,  
Militiæ ornamenta tuæ : Penœja virgō,  
Phœbi primis amor, pulchros sua brachia ramos  
Suggerit, emeritam juvat his ornare juventam, ut  
Docta que Phœbeis innectere tempora fertis.  
Macte animo; GENITOR TE MAXIMUS excitat ILLE,  
ILLE CUI tantas experta Batavia cūras  
Credidit, hic stimulos virtutum, hic semiq[ue] laudum  
Ac exempla dabit patrios extolle triumphos,  
Laudē TUA, nomenque velis superaddere avitis  
Nominibus, decorique decus : TIBI curia tradat  
Se totam, & patriam (sic consuetudo PARENTUM)  
Majestate regas, generosos alta regentes  
Dictatura decet, clarosque exoptat honores.  
Te forâ mirentur, te plebs, te purpura laudet  
Te colat omne melos, patrio si clarus in orbe

Ful.

Fulgebis, multos tunc TU numerabis Homeros,  
Laudatisque canet non rustica chorda triumphis.  
Atque utinam thalamos, ac connubialia cernam  
Fœdera, flagrantesque thoros, hoc carmina dudum  
Nostra petunt, vestros Batavus desiderat ignes  
Vaticinans, humiles mea tunc Polyhumnia versus  
Abjicit, gradiensque altis suffulta cothurnis  
Grandia Mæoniis intexit carmina filis.

*Hæc cognato suo summos in utroque jure  
gratulatus honores cecinit*

A. D. PLOOS VAN AMSTEL.



Ex Officina Fr. J. C. H. HALMA, Academia  
graphi, de loc. zon.

Faegere, iunctio inque TU amicis Horaeos  
Transiit de cedrono iugis choys minibus.  
Aduo nimiru ipsatorum, se coniunctis cedratis  
Ecclies, paximatis choys hoc cedrato quidam  
Motis berne, vestis paxianas getigemt iudee  
Alicuius, paxiuse wes tunc polyanthus rotis  
Aplicet, sacerdotide stis tunc cophuris  
Gaudiis Moxius interit cedrato fitz  
Phat, Hec ecclia in paxiis in modis iudee  
Ecclesiam paxiis actis

A. D. PROOS AVN AMSTEL.



Fab.